

 Rector & Præceptor bonus:

Descriptus,

E T

IN PUBLICUM PRO-
SCENIUM ILLUSTRIS SCHOLÆ
ULMENSIS, ipsi sferis D. JOHANNI BAPTISTÆ
sacris

PRODUC T U S,

CUM NOVUS SCHOLÆ RECTOR
& Corrector, Præceptores item VI. & V. Classium, pu-
blicâ Incliti Senatus auctoritate, solemniter pre-
sentarentur;

A

CUNRADO DIETERICO,
THEOLOGIAE DOCTORE
Superintendente & Scholarchâ.



IN NOBILI SUEVORUM VLMA.
Typis MEDERIANIS.

ANNO CIC 1593.



V I R I S

Excellentissimis, Prastantissimis,

Dn. M, JOHANNI-PHILIP-
PO EBELIO,

Scholæ Vlmanorum R E C T O R I S;

Dn. JOHANNI-CUNRADO
M E R C K I O,

eiusdem C O N R E C T O R I , &c.

AMICIS SVIS SINGULARITER DILECTIS,
S. & A.



Vé nuper in inauguratione vestrâ publicâ, in publico Schola noſtra confeffu, ſermonem habui; eundem nunc publici juris non ſolùm facio, verum etiam vobis, Viri Excellentiss. Prastantiss. amici plurimum dilecti, proſcribentium bucuſq; recepto more, inſcribo ac dedito. Id ut faciam, exigit ante omnia AEQUITAS. Actus iſte noſter Panegyricus in vestri potiſſimū bonorem iſtitutus eſt: æquum igitur omnino & iuſtum erat, ut ſub honoriſco veſtro nomine evulgare iur. Efflagitare PIETAS. Non enim eucurrifit, ut Prophete verbis utar, antequa missi fuſtis, munera ſc. veſtra non illicite ambiſtis, ſed ſuperiorum de vobis iudicium modeſtè expeſtatis, qui & unanimi ſuffragio vos, pre aliis, mūeribus & dignitatiibus iſtis ſcholasticis prefici, cū honore veſtro, non ſine gravi conſilio voluerunt. Cujus vocationis veſtra legitima publicum vobis teſtimoniuſ dari, & pium & honestum iudicabam. Postulat malevolorum TEMERITAS. Dicunt, invidos multos eſſe, qui vobis honores iſtos veſtros intiūs & in cœtu invideant: Lividos; quj clam vos eo nomine pūgant: Maledicos; qui & nomen & exiſtimationē veſtrā, quibus modo calumniis poſſint, publicè proſcindant. Singulos publica hæc committit.

*commendatio confundet, & criminis sui proprii ipsis reos ager. Interea
& contra hos, & illos, & istos, duo hec sapientum monita vos attendite.
Alterum est Epiceti, Stoica secta Magistri celebratissimi: Sapientiae
inquit, studium suscipere cupis? statim te para, quasi futurum sit,
ut deridearis: ut multi te sublannent: ut dicant te subito Philoso-
phum exstissem: ut rogent, unde supercilium istud? Tu autem su-
percilium ne habeto: Ea verò quæ optima tibi videntur, sic tene-
to, quasi à Deo sis in statione ista collocatus. Ceterum memento,
te, si in codeni statu permanferis, iis tandem admirationi fore, qui
te prius deriserunt. Alterum est Plauti, Poëta inter Comicos no-
bilissimi:*

Jnvidere alii benè esse, tibi malè esse miseria est.

Qui invident egent: illi, quibus invidetur, rem habent.

*Jubet deniq; amicitia nostra J u s & F A M I L I A R I T A S. Demonstran-
dus erat vel tandem affectus meus in vos amicus & benevolus. Eum
igitur Symbolo hoc publico declarare volui. Vos ictud equa mente susci-
pere, & plura à me alio tempore exspectate. Ita mihi non tam satisfacie-
tis, quam ad majora me vobis obstringetis. Interea quam optimè vale-
te, & officium vobis à D E O demandatum, cum D E O pè ac stre-
nuè subite. Ulma è Musao, prid. Calend. Iulij, Anno 1623.*

Vestri studiosiss.

CUNRADUS DIETERICH D.

E R R A T A.

Pag. 3. l. 8. lege meritò. p. 6. l. 5. sit. p. 7. l. 15. dele isti si non inservit,
quomodo gaudebit, p. 9. l. 25. pro eruditis, eruditis. p. 11. l. 16. nanci-
scuntur, pag. 13. l. 20. rhetorice. p. 23. l. 24. Respublicæ. p. 24. l. 5.
πανολεθρία & 26. ἀξιομεγάνθευσα, p. 29. l. 16. suscipite.

U m publicam hanc cathe-
drām, verba ad vos factu-
rus, concendo, *Patres Pi-
tria Magnifici, Consules am-
plissimi, Proceres Scholastici
Nobilissimi, Senatorēs specta-
tissimi*, Domini omni obser-
vantiae cultu prosequendi : Vasque cæteri, qui, vel
moris vel honoris ergo, illustri præsentia vestrā,
Actum hunc Scholasticūm illustriorem reddere
voluistis, viri omnium ordinum; omni splendo-
re, pietate, doctrina, virtute & eruditione maxi-
mè conspicui : fautores & respectivē collegæ at-
que amici plurimūm dilecti. Tūque flos juven-
tutis nostræ Scholicæ lectissime ! Dum inquam,
publicam hanc cathedram , verba ad vos factu-
rus, concendo , video omnium vestrūm ora &
vultus in me sollicitē conversos , oculos defixos,
animos excitatos, gestūs conformatos. Mirum
id mihi non est: suspicari namq; istuc antè, quām
ad vos prodirem, potui facilimè. Prodiisse me
verò ad dicendum in conspectum vestrūm pū-
blicum, vobis non abs te mirum erit. Munus e-
nīm me suscepisse videtis, præter munus : dum de-

A cathe-

cathedra Ecclesiastica, cui usi legitimi mancipatus sum, cathedrali involo Scholasticam, cui ordinariè destinatus non sum : Onus me subire conspicitis humeris meis planè impar, dum perorandi provinciam adeo, qui nulla tamen dicendi facultate polleo. Fateor utrumque, & si quid hac in re miror, meam, si non impudentiam, confidentiam tamen minimum miror. Itaque si coram aliis dicendum mihi jam esset, quam qui sunt germani rerum æstimatores, & qui censores, probati judices; Si alio tempore dicendum, quam quo non nisi Scholica nobis solemnia peragenda. Si de alia re dicendum, quam quæ & communis esset utilitatis, & publicæ necessitatis: subsistenter profectò, & vel provinciam hanc publicam declinarem, vel orationē, mihi divinitus concedi sollicitarem, aut Ciceronis floribus conspersam, ad aures audientium suavitatem deliniendas, aut Demosthenis nervis vincitam, ad animos eorum pondere perfringendos. Verum cum vos ijs sitis, qui facultatem potius æstimatis, quam artis auctorium queritis, qui res potius ponderatis, quam orationis fucatae fucatos cincinno grandesve cothurnos intenditis: cum illud tempus sit, quod scholasticis solemnitatibus, hominibus de schola, quorum ordini & me ob Scholarchatus respectum, adscribo, dicatum sit: cum denique res, de qua

qua dicturus sum, ita comparata sit, ut non exigit grandem oratorem, sed humilem requirat narratorem: non fulminantem postulet verborum apparatum, sed cursum desideret dictionis simplicem & adæquatum: animum non abs resumsi, & in medium ad vos prodi: ita prodire ius sus abiis, quorum voluntas mihi metit lex est, auctoritas vero ratio summa est. Quid vero vos velim, expediā, citra otiosas & odiosas ambages, brevibus:

Abiisse scitis non ita pridem officio suo scholæ nostræ Rectorē: Introducendus igitur nobis novus, præteritis diebus designatus, scholæ Rector est. D. Baptista solemnia, scholæ nostræ sacra, adeoque publicæ Legum classicarum recitationi dicata esse nostis: Publicandæ igitur nobis, pro more hactenus consueto, Leges nostræ Scholastico-classicæ sunt. Utrique solennitati conventus hic sacer dictus: utriusque ego auctor superiorum auctoritatem designatus. Nē itaque illotis, quod ajunt, manibus, vel illam vel istam attrectem, placuit Rectorem & præceptorem bonum describere, & in publicum hoc the atrum conspicendum omnibus producere, eo que ipso una eadémque fidelia duos, quod proverbium habet, parietes dealbare. Ita namq; fiet, ut nō tam discipuli è præscriptis legibus officij sui admo-

admonentur, quam & Rector nōvus, cæterique collegæ ejus, de genuinis provinciæ suæ partibus edoceantur. Hic cursus orationis hujus mærit.

Quem dum pro tenuitate mea persequor,
Vos, AUDITORES, qua animi pietate & attentione
primordia captantem capistis, cädem & narran-
tem ac perorantem, de votè audire pergit. Tu
vero supremæ Scholarum moderator, Christe
Jesu, pondera dictis largire, rebus momenta ad-
de, spiritus tui gratiam concede, ut digna te, dig-
na nobis, digna cætu hoc honoriatissimo, digna
re communi & publica dicamus & faciamus, A-
men,

Principio igitur, ut qui sit Rector & præ-
ceptor bonus, omnibus evidenter constet, hoc
quod Naturæ ipsius ^{naturæ} est, præsuppono. Exi-
git ea, ut melioribus & potentioribus deteriora
submittantur. Videtis, docente etiam Seneca,
multis gregibus, aut maximâ corpora præesse,
aut vehementissima. Non degener taurus far-
menta præcedit, sed qui magnitudine & toris ceteros
mares vincit. Elephantorum gregem ex-
cellentissimus ducit inter homines pro summo
est optimus, & rector animo eligendus. Rector
ergo ac præceptor Scholæ eligendus est optimus.
Ut enim necesse est ante omnia regulam rectam
esse, ut ea, quibus applicatur, ad rectitudinem
per-

Sene. l. 14. epist. 91.

perdilicantur: Ita Rectorem vel Præceptorem oportet ipsum recte ante omnia constitutum esse: cum non sit cadentis, quod Plutarchus habet, e-
 rigere, incompositi componere, inordinati or-
 dinare. Secus ubi sit, Scholis statuæ ac colossi
 præficiuntur, qui honestam præsse foris speciem
 ferunt, intus vero pleniplumbō, lapide, terra,
 sunt. Optimus Rector & præceptor ut sit, virtu-
 tibus ac dotibus optimis imbutus sit necesse est.
 Haec, quæ & quales esse debeant, publica inter alia
 constitutionum Imperialium loquuntur monu-
 menta. Theodosij imprimitis & Valentiniani Au-
 gustorum, augustæ docent sanctiones & rescri-
 pta. De iisdem luxurijs dictare cāpum vide-
 tis aperiri amplissimum. Eundem dum & milii
 apertum video, id agam quod facere solent, qui
 hortos amoenos perlustrant: ijenim non quosvis
 & singulos flores, etiam abjectitios curant, sed
 neglectis iis, ad topias opera accelerant, & in iis
 dem exotica, singularia & maxime necessaria
 considerant. Ita & ego, præteritis trivialibus &
 abjectitiis, ea saltem de Rector & præceptore
 bono proferam, quæ vel maxime judicabo né-
 cessaria.

Primas vero de jure tribuo VERÆ PIETÀ- *Ego i. p. ius.*
 ri, quæ Ambrosio assertore, omnium Christianarum virtutum fundamentum est. Pietatem

*Plutarch. ad prin-
 cip. in doctum.*

dum nomine, religionem sinceram, confessio-
nem ejusdem orthodoxam, devotionem Chri-
stianam, subintelligo. Christianarum Scholarum
Rector ac præceptor Christianus ut sit; ipsa ratio
exigit. Christianus quo nomine esse possit, si pius,
si religiosus, si devotus, non fuerit? Dicimus eum
solum, qui pius & religiosus est, Christianum, di-
Clem. Alexand.
in parane. ad gen.
eo.
cit Clemens Alexandrinus. Dicimus & nos cum
illo.

Pietas abesse Christiano qui potest?

Namq. argumentum mutuum est

Pietatis, esse Christianum: & impj.

Non esse Christo subditum:

Ait Paulinus, poëta Christianus: & nos cum illo.

Vinculo pietatis obstricti, Deo religati sumus, scribit
Lactant. l. 4. s. 28. *indivinis institutionibus suis lacteus ille Lactan-*

tius. Unde & ipsa religio nomen accepit, quod ho-
minem sibi Deus religaverit, & pietate constringerit,
quia servire nos ei ut Dominus, & obsequi ut patri ne-
cesse est. Religata ergo nos religio illi, ad cuius co-

Tertull. lib. de
Trinit. *gitandam & eloquendam majestatem, ut Tertullianus loquitur, & eloquentia omnis merito muta est,*

& mens omnis exigua. Quid ergo dignius est, quam obstringi & religari, inservire & obsequie i, qui
sublimitate omni sublimior, & altitudine omni altior,
& profundo omni profundior, & omni luce lucidior,
& omni claritate clarior, omni splendore splendidior, q-

RECTOR ET PRÆCEPTOR BONUS.

in irrobo re robustior, omni virtute viridior, omni pulchritudine pulchrior, veritate omni verior, fortitudo omni fortior, et maiestate omni major, et omni potentia potentior, et omnibus divitiis ditionis, omni prudenteria prudentior, et omni benignitate benignior, omni bonitate melior, omni justitia justior, omni clementia clementior, quæ elegantissima sunt B. Tertulliani verba. Huic ergo, Ambrosio afferente, appropinquare, inclarefcere est, illum timere gaudere est, ei servire, regnare est. Scholæ Rector, si Deo religatus non es, cui religatum putabis? Huic si non obsequitur, cui obsequetur? illi si non appropinquat, quomodo inclarefcet? eum si non timet, quomodo gaudebit? isti si non inservit, quomodo gaudebit? isti si non inservit, quomodo regnabit? Gregorius Nazianzenius, à Ruffino, vir per omnia incomparabilis: à Basilio, os Christi, dictus, viros pios angelos potius dicendos opinatur, quæ homines: Eosdem clarissima sidera, præstantissima Christi membra, immortalis Dei sigilla & astræ carne circumvestita, indigitat. Scholæ Rector si vir pius non est, quem dicendum opinaberis? Dicam paucis multa: si pius, si religiosus, si deo-
rus non est, quanta quanta scientia imbutus est, non me, sed gentium Apostolo judice, NIHIL est. *Veræ enim virtutes, quod Augustinus dicebat, non nisi in eis, quibus vera inest pietas, esse possunt.*

Ambros. epist. 87.
ad Demet.

Serm. de hominis
vilitate.

August. I. 19. de
civit. Dei c. 4.

Pietati

Pietati in Scholæ Rectorē proximam iudicem.
Eſt 2. Eruditus. Eruditonēm dum pono, solidam intelligo, non ventosam, non circumforaneam, non umbraticam. Sint Scholarum Rectores aut eruditī planè, aut se non esse eruditōs sciāt. Nihil enim, si Quintiliano, optimo dicendi Magistro, ereditimus, pejus est iis, qui paululum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi Scientiæ persuasionem induerunt. Hujusmodi qui sunt, cedere præcipiendi peritis indignantur, ac veluti jure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus laborat, imperiosi atque interīm sævientes, stultitiam suām pēdōcent, nec minus error eorum moribus nōcet. Certe à ministro Ecclesiæ, ut ad regnum cœlorum edoctus, & vero eruditæ pietatis thesauro, è quo tanquam è confertissimo sapientiæ divinæ penū, plenam salutis æternæ cognitionem depromere queat, instructus sit, Salvator noster requirit. Requiero idem à Scholæ Rectorē, sit & ille ad regnum Scholarum edoctus, & politioris literaturæ copiæ cornu uberrimo instructus, artium liberalium ac scientiarum humaniorum notitiā, non leviter tinctus, sed planè imbutus, & plenè subactus, ut summo cūm juventutis Scholasticæ fructu docere, ac inculcare quascumque possit. Eruditę ante omnia Latinitatis, quę Latinarum Scholarum anima

Matt 13. v. 32.

nima & cor esse debet, ad amissim gnarus, in ejusdem penetralibus ita versatus, ut intima illius quæque in succum, quod ajunt, & sanguinem converterit, nec in quantitate syllabæ etiam alijus minimæ hallucinari possit. Scio, eruditis & doctis suam hîc constare libertatem: Quis enim Orbilius ad Grammaticas quantitates, officias triviales alias, ipsos rigide obstringeret? In iisdem ergò illos hallucinari quandoque & impingere, nec mirum usque adeo, nec vitiosum est. Eruditæ autem Latinitatis Doctorem, qualis Scholæ Rector, in his talibus labi & turpe & vitiosum est. Optimè Petrarcha: *Scientis est posse docere.* Latinitatis doctor, si Latinitatis genuinæ ipse ignarus est, qui eam alios docebit? Si nativæ puritatis, nitoris & elegantiæ Latinæ, ipse inscius est, qui in eadem alios informabit? Si quantitatum vocum & syllabarum ipse imperitus est, qui eas aliis monstrabit? Vah quam & pudendum & nefandum est Latinum præceptorem pro *spécimen* pronunciare *specimen*: pro *cornicis*: pronunciare *cör-nicis*: pro *mediastinus*, *mediastinus*: pro *tibicentibicen*: pro *fidicen*, *fidicen*: pro *inquino*, *inquino*: pro *déstino*, *déstino*: pro *erúdis*, *érudis*: pro *advénit* in *préterito*, *advéit*: pro *advenimus* in *præsenti*, *advénimus*: Sexcenta alia. Ita pueriliter & imperitè peccans quâ fronte, dic mihi sodes, pueros pari inscritia

peccantes corriget? Ote miserum, si in persona-
tum hujusmodi Latinitatis Magistrum incide-
ris! Incidunt autem, eheu, in tales plurimi! E pre-
ceptoris lingua suam debet discipulus informa-
re: ad præceptoris stylum, suum debet discipulus
exsculpere: juxta præceptoris sermonem, suum,
debet discipulus componere. At nec præcepto-
ris lingua, nec stylus, nec sermo Latinus est, de-
suo ergò quid sibi discipulus promittet? Tædet,
piget, pudet, Auditores, graviora hoc loco Ludi-
magistrorum quorundam, etiam eorum, qui vo-
lunt audire Magistri nostri, peccata Grammatica,
ad quæ animus mediocriter Latinus quandóque
exhorresceret, levissimis perstringere. Non tan-
gam grandes istos Asinos, qui Latinè aliis lo-
quentibus, aut instar bruti alicujus idoli obmu-
tescunt, aut ubi necessitas ipsa loqui ipsos jubet,
ita miserum sermonem dispescunt, ut non tam
ipsi se non intelligent, quam audientibus risum,
Prisciano ejulatum, sibi ignominiam & confu-
sionem excutiant. Et hi sunt elegantes nostri
Magistri LATINI? oh / illatini! Asinini! Prætereo
corundem scripta, vel proprio ipsorum Marte,
at sine omni arte, in chartam conjecta, vel ab aliis
composita, ab ipsis correcta. Deum immortalem,
quam rudem indigestamque molem, in qua
nec caput, nec pes appareat, hic conspexeris! Vi-
tia

tia videbis salva, sana, integra, pura: integra cognoscet jugulata: recta depravata; pura oblitterata: sana expuncta: expunctis & oblitteratis non nisi morbida, marcida, foetida, putrida, purulenta, hiulca, substituta, Dispeream, si non ad obliquum etiam eorundem intuitum leviter erudito, ne dum verè literato, deliquum aliquod certo certius quandoque suboriatur. Ehi sunt magni nostri Magistri Latini? Oh! illatini! Asinini! Qualem ergo ab illis messem nisi illatinam & Asinianam sperabimus?

De Latinitate quod dixi, idem de humioribus disciplinis aliis dictum volo. Experiuntur eæ nonnunquam idem ferè fatum, eosque temerariæ audaciæ interpres nascuntur, qui ne prima earum rudimenta norunt, nedum intelligunt. Ab illis ergo qui fructus literarij nobis erunt exspectandi? Misere est, scribit Sidonius, qui ante compulsus est docere, quam discere: Miserior qui ejusmodi Magistrum naclitus est: Miserrimus omnium, qui Magistro hoc corruptus & deperditus est. Docere alios affectare eum, qui non sufficienter instructus est, res mihi videtur, cum Greg. Nazianzeno, antiqui proverbij: *in dolio discere artem figuli. Sus nulla Minervam.* Ergo docere id quod nescias, stultitia est: Discere velle ab eo, qui nihil didicit, vesania est. Eruditus igitur ac literatus Scholæ Rector sit, si eruditos & literatos discipulos educare velit.

1. 6. 3. epist.

*Ego 3. in docen-
do facilis & inter-
presando felix.*

Post eruditionem in Rectore requiro do-
cendi dexteritatem & interpretandi felicitatem:
Præceptorem eruditum & doctum esse non suf-
ficit. Didacticum esse , in docendo & facilem &
felicem esse , vel maximè expedit. Scholis nam-
que non sui , sed discipulorum duntaxat gratiâ
præficitur: in cathedram constituitur , non ut e-
ruditionem suam recondat , sed ut depromat:
non ut sibi sciatur , sed ut alios scire faciat , non ut
pomposè quod scit , venditet , sed ut methodicè
per felicem quandam doctrinæ *xelegaywicæ* tan-
quam per traducem , in pueros derivet. Quam
ad rem methodo utatur bona , perspicua , facili,
brevi , non multitudine ingrata , diuturnitate in-
jucunda , molesta varietate , difficile obscuritate.
Non ad pompam & ostentationem ingenij , do-
ctrinæ , facundiæ , sed ad discipulorum suorum
captum & commodum doceat. Omnia enim
breviora , addo etiam leviora & faciliora reddet
ordo & ratio & modus , quod inculcat *Quintilian.*
L.13. cap. II. Non ergo de genere ad genus trans-
cendat , sed per media legitima procedat. Non te-
ctum ante fundamentum superinducat : sed antè
fundamenta probè jaciat , quàm tectum super-
struere præsumat. Secus ubi fit , in fumum omnis
labor abit. Novi scholarum moderatores pluri-
mos , quorum si vel eruditionem respexeris , in-
venies

Jun. Ques. Polit.
45.

venies omnibus partibus exquisitam: si usum & experientiam rerum consideraveris, videbis un-diquaque absolutam. At quia in docendo nec fa-ciles nec felices sunt, an non in vanum omnem, laborem & industriam adhibent? An non, quod dare volunt, dare nequeunt? An non quod una manu dant, altera iterum auferunt? An non quod cum difficultate docent, cum tædiosa obscurita-te dedocent? Movent quidem se, sed non pro-movent.

Conqueritur desingulari quorundam, dicendi Magistrorum fastu & inflatione suo tempore B. Augustinus his verbis: Erube-scatur ergo superbus & scientia inflatus, cui plus placet ars Aristotelis, quam scientia de Apo-stolis: plus codex Platonis, quam liber divinus: quem nulla lectio latificalat, nulla scientia adifi-cat: nullus sermo sapit, nisi fuerit Grammaticè conceptus, Dialecticè imaginatus, Rhethoricè purpuratus. Præfice purpuratos hos Doctores Scholis, & vide quo bono ipsos præfeceris? Non possunt illi aliter, quam ut perditum eant scho-las, & juventutem scholasticam flatuosis suis scien-tiis, purpuratis suis sermonibus, in flatuosos & purpuratos asinos, tandem convertant.

Scio viros absolute doctos, quide qua-cunque materia, etiam quacunque lingua velis, Logicè, Physicè, Metaphysicè, Mathematicè,

Augustin. lib. de
pecul. peccat. c. 6.

Politice, in scholis¹, cum omnium applausu disserunt. Cui verò bono ista differendi subtilitas? ista loquendi volubilitas? Annon isti theatrico quāsi apparatu, sui potius admirationem venantur; quām discipulorum utilitatem, commodum item publicum, sectantur?

Non me latet, esse quandoque præceptores in scibili omni versatissimos, qui gravissimis auctoribus in soluta & ligata oratione, in Logicis, Politicis, Historicis, Mathematicis, disciplinis aliis, discipulos onerant, ex iisdem linguis & sciētias, felicissimis, ut ipsi quidem sibi suaviter imaginantur, auspiciis, discipulos suos, qui rudimentis tamen Gramaticis nondum vere imbuti sunt, novā novae didacticæ formā, edocere attentant. Cui verò, dic mihi, bono ridicula ista informandi temeritas & stulta audacia? Annon isti tectum, operosè struunt, fundamentum verò, si non furiosè, attamen curiosè, negligunt? Memini me & hos & istos æquiparare quandoque pro concione Gallinæ matri, improviso assultu, superiorum scalarum gradum occupanti, pullulósque suos crebra glocitatione ad se allicienti, quibus tamen ob plumarum defectum aliud non liceat, præterquam ut glocitantem matrem suspiciant, vel si quid possint ascensum, irrito tamen nisi, non

su, non sine risu, petant. Quām curiosiverò & vani sint fecis hujus Ludidoctores, suo etiam tempore B. Bernhardus probè subolfecit, ideoque eos his verbis falsè perstrinxit : *Sunt, scribit, quidam, qui scire volunt, eo fine tantum, ut sciant, & turpis curiositas est : & sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & turpis quaestus est : & sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est : sed sunt quoque, qui scire volunt, ut adfident, & charitas est.* Expectabitis fortean sententiam meam ? Dicam, quid sentiam, ingenuè : *μολυφός* sperabo quosvis ingenuos. Ego Scholam istam beatam prædico, quæ moderatorem naœta est, qui, quod docte novit, alios commode non solùm docere possit, sed & fideliter docet. Is enim etiam semidoctus mihi pluris, quām si vel Plato vel Aristoteles Magisterij subsellia occuparent, meritò habetur.

Præclara est illa Attali apud Senecam sententia. *Idem debere docentis & discentis esse propositum, ut ille prodeſſe velit, hic proficeret.* O auream, aureo obelisco notandam, & aureis literis singularum scholarum foribus insculpendam sententiam ? Quid enim communī bono utilius, quām docentem in schola semper propositum habere ut velit prodeſſe ?

Quid

Seneca epist. 109.

Quid discenti juventuti fructuosius, quam semper propositum habere, proficere? Utinam impetu quodam sacro, impetum istum sacram, tam docētibus, quam discentibus in scholis comprehēcari & divina intercedente grātia conferre possem? Quid putabitis, me hoc ipso scholis contulisse? Putarim ego contulisse me eis dōnum post Deum, OPTIMUM. Interea cūm vestrarum partium sit, praeceptores, impetum istum quantum in vobis est, exūscitare, hoc semper intendite, ut prodeſſe velitis. Ut verò ritē prodeſſe possitis, illud Sexti Empirici quisque animo suo consideret, hunc in mōdum dicentis: Corpus est character animi; adeoque cogitet ita sibi animūm discipuli informandū, ut bonus & prudēns pater familiās corporā suorū domesticorū procuret: ut igitur bonus pater familiās primū distinguit inter cibos, & lac præbet infantibūs, solidiores cibos adultioribūs, ut item distinguit inter liberos & servos, familiāres atque ancillas, & illis quidem meliores cibos puriorēmque panem distribuit, horū famem leguminibūs & secundaria pane explet: Ita bonus prudensque Doctor primū delectum habeat tyronum & adultiorū discipulorū: delectum item habeat ingeniōrum: alia enim sunt liberalia & sublimium capacia: alia servilia inferioribus solū idonea.

Docet

Docet idem natura. Gallina, pullis suis grana, majuscula, rostello diffissa, ad deglutiendum accommoda, objicit. Idem faciat præceptor bonus. Topiarius non quodlibet semen cuilibet arvo cōmittit, sed, seminis natura explorata, id per certas & distinctas areolas, pro terræ loci & temporis ingenio dispergit. Idem faciat præceptor bonus. Homo pater familiâs, è thesauro suo & vetera & nova de promere novit. Idem faciat præceptor bonus. Imò, fiat discipulis omnibus, ad exemplum Pauli, omnia, ut omnes eruditos faciat: sit doctis doctus, excitatis excitatus, expeditis expeditus: infirmis infirmus, tardis tardus, fungis fungus, truncis truncus. Et hoc agat, ut si non omnes, plerosque saltem, literatos reddat. Hoc animo qui non est, exeat, per me præceptor Schola. Eam enim non erigit, sed destruit. Discipulis plus officit, quam expedit.

Matth. 13, v. 5.

Proximum à docendi dexteritate & fidelitate, Esto 4. assiduus & fidelis.
Præceptoris requisitum statuo ASSIDUITATEM &
FIDELITATEM. Quid enim rem juvabit Scholiam, præceptorem in docendo esse felicem, si non sit assiduus? si non fidelis? Magistri sunt ac dicuntur præceptores. Verè ergo sint Magistri. Erunt, ubi notationem vocis MAGISTER observabunt. Magistros dictos volunt, Gregorio Tholossano notarite, à MAGIS, quod magis quam

C cœ-

cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus quibus præsunt, debeant. Adhibeant istam sollicitudinem, & Magistri erunt. Vel dictos volunt ab antiquo verbo *Magistrare*, quod Festo idem est, ac regere, quia præcipuum Magistri officium in eo consistit, ut paterna cura discipulos regat. Regant ita discipulos, & magistri erunt. Vel dictos volunt a *monstrando*, quod compendiosum eruditæ pietatis tramitem discipulis monstrare debeant. Monstrent, & Magistri erunt. Faciant autem id omne fideliter. Fideles sint in lectionibus atque exercitiis proponendis, explicandis, injungendis, exequendis, repetendis & inculcandis. Fideles in ingenij discernendis & tractandis, in secretis studiorum communicandis, in commentariis prolixis & dictatis spissis evitandis. Fideles, in discipulorum profectibus explorandis, in exploratis, si probati, commendandis; si vitiosi, vituperandis. In his, si vel hac, vel illa, vel illa parte præceptoris fidelitas deficit, institutio ejus nil proficit. Gloriatur de sua in docendo fidelitate hunc in modum Seneca, moralium sacrorum Magister solertissimus: *Cupio, ait, omnia quæ scio in alium transfundere, aliquidque gaudeo discere, ut doceam.* Si parem cupiditatem præceptores haberent: O quam multum proficerent!

Suam

Suam verò in communicandis studiorum secretis facilitatem istis verbis commendat; *Si cum hac exceptione sapientia detur, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, ejiciam.* Nullius boni, sine socio, jucunda est possessio. Optimè sensisti & dixisti, optimè mi Seneca! Tecum si fácerent, qui sapientiam in Scholis venalem habent, optimi essent. Et certè fidelitatem præceptoribus vel in primis in informanda juventute Scholastica adhibendam esse ipsa etiam natura suggerit. Non enim omnes ad omnia feruntur: Sua cuique natura: Trahit sua quemque voluptas: Natura luxurians est, cultore fideli & discreto, si destituatur, facilimè degenerat. Quemadmodum igitur agricolæ vitæ amputant, ne vis nativa & succus in palmites sese extendant. Ita supervacanea juventutis vivacitas, educatione & institutione à præceptore resecanda, ne nativa vis & succus indolis in degeneres vitiorum palmites sensim ac sensim immutentur. Themistocles dissolutè in adolescentia vixit, neq; id ipse dissimulavit: sed dixit: *E ferocissimis pullis optimos equos fieri, si rectè formentur & instituantur.* Suam ergo hic fidem & industriam comprobent præceptores necesse est, ut è ferocissimis discipulorum suorum pullis, sua formatione & institutione optimos discipulos facere queant. Accedit ingeniorum diversitas, quæ si non diversa ratione colantur, de iisdem protinus actum erit.

Senec. epist. 72.

Item allegat. quæst. Expertus id est Isocrates ; qui cum duobus dissimilibus discipulis, Theopompo & Ephoro præpositus esset, alterum frenis , alterum calcaribus opus haberé dixit. Petrus contrà Maximiliani primi Imperatoris præceptor , discretione hac destitutus, graviter lapsus est, dum sophismata Maximiliano inculcare voluit, ad quæ capessenda appetitus non fuit. Ideoque verberibus hoc effecit, ut literas magis ille odio haberet , quam diligeret. Itaque Romanorum rex postea factus , dixisse à Cuspiniano fertur : *Si præceptor meus Petrus hodie vivereret, efficerem profectò, ut imperite illum informationis pœniteret.*

Cicero in Bruto. Laudat Molonem præceptorem suum, quod in notandis animadvertisque vitiis, & instituendo docendóque fuerit prudenterissimus: operam dederit, ut nimis redundantem se & superfluentem juvenili quadam impunitate & licentia reprimeret, & quasi extra ripas diffluentem coerceret. Notatur contra ab historicis

Plutarch. in vita Alex. M. Leonidas Alexandri M. præceptor, cuius negligētia temulentus ille evasit, cum adulari magis quam instituere ille regem videretur. Nec usque adeò benè apud omnes Seneca audit, quod cum Neronē institueret, aliud omnino scriberet, aliud sequeretur. Tyrannos lacerans, Tyrannodidas calum sese præstaret. Præceptores, benè audire vul-

Cælius l. 8. antiqu. lection. c. 15.

tis?

vultis? Fidelitatem vestram, istis quibus dictum, modis, comprobetis.

Fidelitati sociam jingo humanitatem. Scholæ Christianæ humanitatis officinæ publicæ sunt, in quibus homines in humanitate vera per scientias humaniores informantur. Humanos ergò etiam moderatores jure suo exigunt. Orbilij rigidi & frigidi, è Scholis Christianis exulabunt: cæ patres humanos requirunt, quorum affectum patrium, oratione alia expressissimus alibi. Iracundi, lividi, turgidi, animi impotentes, feroce, sævi, tyranni, vix bobus curandis ac mulis fricandis apti sunt: liberis ergò instituendis qui idonei erunt? Moderamen autem discretum requiro, quia discentium ingenia discreta scio. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: quidam imperium dignantur: quosdam continent metus, quosdam debilitat: alios continuatio extundit: in aliis plus impetus facit. Optandus is ut detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit, in hoc locum desidia nunquam habebit. Maximè verò teneris non est protinus acerbè instandum, plenâque opera exigenza. Id imprimis cavendum, ne studia, qui amare nondum potuit, oderit, & amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos refor-

Plutarch. de liber.
educat. Quinctil.
l. i. institut. c. 4.

Quinctil. l. i. c. 2.
Junius quæst. poli-
tic. 45.

midet. Lusus hic sit, & rogetur & laudetur. In laudandis tamen dictionibus ne sis, Didascalus, malignus, nec effusus: in emendandis, quæ corrigenda erunt, non acerbus, nec contumeliosus. Verbis si ad rectum puer induci non possit, verbera adjice: sed moderata, sed delicto convenientia. Praestat tamen verba, quam verbera adhibere. In hoc punto si laberis, Praeceptor, institutio tua labitur. Ego hic Terentianus Mitionum:

*Pudore & liberalitate liberos
Retinere satius esse credo, quam metu.
Hoc patrum est potius consuefacte filium,
Sua sponte recte facere, quam alieno metu:
Hoc pater & Dominus inter est: hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.*

Nb. 2. cap. 1.

Facio cum Quintiliano, qui hanc ipsam adversariam præceptoribus constituit, ne sint in emendando acerbi, aut contumeliosi: nec sit ipsorum tristis austeras, nec dissoluta comitas: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. In maximis pono aureum hoc Francisci Philephi: *Talem in summa se præceptor exhibebit discipulis, ut sit austerus sine tristitia: comis sine scurrilitate: severus cum jucunditate, jucundus cum severitate. Irafcatur, sed modicè: objurget, sed non contumeliosè: corrigat,*
sed

*Tractat. de lib. e-
ducat.*

sed non acerbè: dissimulet interdum, sed cautius: laudet etiam, sed non profusus: blandiatur quoque, sed gravius: remittat, sed non licentius.

Veniam mihi dabitis, auditores, quod ve- Esto s. in disci-
plina severus &
gravis.

stra in audiendo benignitate ita licentiose, cum tædio vestro, abutor. Concludam orationem, si unicum saltem, præteritis innumeris aliis, adjecero. Ecquod nam illud? Disciplinæ est SE-VERITAS & GRAVITAS. Momentum hæc di-
Etis addunt unum & summum. *Disciplina nam-*
que custos spei est, docente Cypriano, retinacu- Cyprian. de b.
bitu Virginum.
culum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutri-
mentum bona indolis, magistra virtutis, facit in
Christo manere semper, ac jugiter in Deo vivere, ad
promissa cælestia & divina præmia pervenire. Hanc
sectari salubre est, & adversari ac negligere lethale.
Disciplina ergò si laudata & bona est, boni quoque & laudati sequuntur mores: mores bonos & laudatos, sequuntur cives boni; Ci-
vies boni & laudati, constituunt Rempubli-
cam bonam & laudatam. Disciplina igitur ut anima Scholæ, ac nervus Reipublicæ est, sine qua nec scholæ nec Reipublicæ subsistere possunt: Ita COR Rectoris & præceptoris boni esse debet, quam sibi, ut cor suum, constanter com-
mendatam habebit, vel maximè: Ne eâdem,

negle-

neglectâ , discipuli negligantur : istis neglectis, mores boni corrumpantur : istis corruptis, cives boni depraventur : istis depravatis, Respublicæ prostituuntur:istis prostitutis, πανολετρία ac extre-
mæ omnium rerum eversiones subsequantur. Cum verò, quid faciendum sit à faciente, juxta
prudens Senecæ monitum, discendum sit: Faciat Scholæ moderator ipse, quod discipulos facere
jubet: vitia quæ in Scholaribus non feret, in se et-
iam non toleret: excessus enormes, quos in ipsis
castigat, à se perpetrari non permittat. *Vult Do-
minus* , ait aureum illud eloquentiæ Pelasgæ lu-
men & flumen , B.Chrysostomus, *Doctores Chri-
stianos hoc primum facere, deinde docere, ut doctrinam
suam bonam cum vita meliori commendent* , ut scien-
tiam inferant benè docendo: Timorem autem melius vi-
vendo. Vita melior ubi deficit, auctoritas præce-
ptoris omnis perit. Quomodo enim, ut de suo hoc
meus mihi Augustinus, pater verè Augustus, lar-
giatur, observari potest à discipulo, qui nil secretum ha-
bet à discipulo? quid in te miretur, si nihil in te respiciat,
quod ultra se inveniat. Si quæ in te erubescit : in te ,
quem reverendum arbitratur, invenit? Non possum,
Præceptores , quin in aures vobis quædam BB.
Patrum ἀληφηνεύστρα insusurrem: Quæso vos ea
per aures vestras in cordis vestri intima demittite.
Ecquæ illa? Hoc Augustini: (a) Plus valet modus
vivendi,

*Hemil. 17. in
Matth.*

^a August. epist.
112.

vivendi, quam loquendi. Id Hilarij: (b) *Optimum b) Hilar. canon.*
est exemplo potius docere, quam dictus. Illud Cypria-*Hilarij. canon.*
ni: (c) *Efficacius est vita, quam lingua testimonium.* c) Cyprian. de-
Illud Lactantij: (d) Homines malunt exempla, quam dupliciti Martyr. p.
verba. *Quia loqui facile est, præstare autem difficile.* d) Lactant. l. 4.
Mos si præcipitur, ut Sacerdos ingrediens taberna- iñstitut. cap. 23.
culum tintinnabulis ambiatur. Applicat id venu-
stè B. Gregorius ad bona sacerdotum opera : ve- Gregor. in par-
nustiùs nos ad præceptores applicabimus , quo- ral cap. 4. citat. e-
rum vestimentis quocunq; loco versentur, eant, cap sit rector di-
fecdant, hæreant, tintinnabula inculpatæ vita ad- sumit. 43.
hærebunt, ut vita viam cum lingua sonitu ipsa,
*quoque opera præceptoris clament. Periisti præ-
ceptor, periisti, si impietatis, aleæ, puta, compota-
*tionis, comessationis, ebrietatis, impunitatis, fa-
*stus, superbiæ, delicti alicujus alterius, discipulum
*arguis, cujus te ipsum reum agis. Annon enim****

protinus responsantem, & hoc tibi Augustini oc- l. 4. de doctr. Christ.

cinentem audies: Quod mihi præcipes, cur ipse non fa- stian.

cis? Usque adeò

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum!

Abrumpendus est mihi vel tandem sermo, &c ad id cuius gratia congressus hic publicus institutus est, minus accelerandum. De bono Rectori & præceptore admodum jejunè dicentem me hucusque audivisti admodum benignè. Dixi de iisdem non ut debui, nec ut volui, sed ut potui.

D

Quo

Quo sine autem omnia isthæc dixerim, porro audiatis.

Deposituit non ita pridem apud nos officium suum Scholasticum, Vir literatissimus & doctissimus, *Dn. M. Johann-Baptista Hebenstreit*, classium nostrarum Scholasticarum per annos 13. Rector; Ethicæ item & Mathematicæ in Gymnasio nostro publico professor, amicus noster dilectus, cui à nobis discedenti, VERBA BONA, VOTA PIA, FATA BENIGNA christianè precamur. Depositione isthac factâ, Rectoratus non solùm classicus, sed & professiones publicæ hactenus vacarunt. Re igitur in publico nostro confessu deliberatâ, collatis in medium consiliis, auctoritate publica Senatus nostri Magnifici, comprobatis: Ethica quidem, professio cum Logica conjuncta, Mathematica, verò Viro Clarissimo & Excellentissimo, *Dn. M. JOHANNI BLOSSIO*, Matheseos in illustri Schola Lavingana per annos benè multos, professori celebratissimo, amico nostro singulariter dilecto, demandata est, quam ob rem studiosis publicis suo tempore publicè à nobis commendabitur.

RECTOR verò classium, unani mi suffragio, nemine penitus discrepante, electus & auctoritate publica designatus est Excellentissimus Vir, *Dn. M. JOHANNES PHILIPPUS EBELI-*
us,

us, Scholæ hujus per novennium Conrector. Qui cum sub Conrectoratu suo, singularem suā in docendo dexteritatem & industriā, eruditio- nem item in scientiis humanioribus, politiori præcipuè literatura, maximè conspicuam, nec nō morum integritatē, vitæq; honestè apud nos acte innocentiam, Magnifico Senatui, Dominis no- stris officiosissimè colendis, totique ordini nostro Scholastico sufficienter comproba- verit, dignus præ aliis judicatus est, cui primæ istæ regiminis & dignitatis classicæ commen- darentur.

Cæterum quod aliâs etiam in militia fieri so-
let, ut summo belli duci, vicarius plerunque &
coadjutor adjungatur, qui graviorum laborum
consors & fidus quasi ~~παρεγάσατης~~ sit: Idem & in mi-
litia hac nostra literaria classica, denuò nobis ob-
servandum, judicavimus. Rectori itaque pro-
nunciato, CONRECTOREM, veluti fidum ~~παρεγάσατην~~
deditimus, Virum Præstantissimum, Dn. JOHAN-
NEM CUNRADUM MERCKIUM, juris & moris nostri
Scholastici, multis ab annis peritissimum, déque
Schola hac nostra, ob humanioris literaturæ sin-
gularem notitiam, docendi assiduitatem, fi-
delitatem & perspicuitatem, per annos sedecim
optimè meritum.

Conrector.

Classis vi. Præceptor.

Hujus verò in Classe vi, successorem designavimus Virum Doctissimum, Dn. M. ULRICUM SCHMIDIUM, Hebraicæ in primis & Græcæ Linguarum peritissimum, nobis ob eruditas ingenij dotes, & docendi industriam in Quintæ classis regimine hactenus comprobatam, commendatissimum.

Classis v. Præceptor.

Classis denique Quintæ præceptorem è Stipendiariis Reipublicæ nostræ selegimus M. GEORGIUM BURCKHARDUM LANGENAVIENSEM, quem suam etiam in docendo fidelitatem ac industriam nobis in posterum comprobaturum esse sperabimus.

Hæc ita constituta, hæc ita rata sunt !

Proclamatio Re-
ctoris & Conre-
ctoris novi.

Quod igitur felix faustumque jubeatis, quem penes jubendi potestas una residua, Deus Ter Optimus Maximus, RECTOREM, CORRECTOREM & PRÆCEPTORES hos novos publicè designamus, proclamamus, renunciamus, talesque haberi & decenti obsequio ab universis Reipublicæ nostræ classicæ civibus, præceptoribus & discipulis, summis, medioximis, imis, honorari, publica aucto-

ca auctoritate omnibus & singulis edicimus, mandamus, præcipimus. Idque omne in nomine Sacrosancte Individuæ Trinitatis, Patris, Filij & Spiritus Sancti, Amen.

Habetis nunc, Præceptores & discipuli classici, novum Scholæ vestræ caput. Gubernatorem novum vobis præfecimus, huic fasces Scholicos detulimus, hujus tutelæ Musarum vestrarum promœria commisimus. In hunc ergo deinceps oculos & pietatem vestram singuli obvertite, ipsum deceti cultu ac reverentia respicite, observe, colite. Habetis præceptores novos; Illos ut Collegas, *παρασάτας, & συνέργεις* vestros in Domino, vos Præceptores classici, suscipice, amate, tractate. Vos verò discipuli, Præceptores, eosdem vestros agnoscite, & ut decet suspicite. Rectorē, Correctorem & præceptores vestros, Magistratū vestrum scholicū, scitis, intelligitis, auditis, videtis. Illos igitur nō fortuito casu, non humano duntaxat ausu & iusu, sed à Deo ipso ordinatos, vobis datos & præstitutos esse scitote: ac proinde propter mandatum Dei & conscientias vestras, devotè eos colite, illis certatim obedire parate. Obedientiē hujus vestræ limites qui sunt, Legum classicarum capita, quæ jā in jam è cathedra hac publica vobis præle-

Admonitio ad
Præceptores &
discipulos classi-
cos.

gentur, vos edocebunt. Ad illarum præscriptum vitam vestram toti cōformate, studia yestra dirigit, actiones vestras instituite, à prævaricatione earundē temeraria, vobis cane pējus & angue cavete. Idq; omne non tam formidine poenæ, quām virtutis amore. Illud degenerum ac desperatorū; hoc proborum & ingenuorum esse cogitate. Probos etiam, ingenuos, morigeros, placidos, sobrios, puros, nomine, re, dictis, factis, gestis vos exhibete. Secus si feceritis, in publicam offensam nostram incidetis. Armavimus semel Rectorem & præceptores vestros auctoritate publicâ. Illos nunquam patiemur à vobis premi, nedum supprimi. Verūm, quantū poterimus, asseremus. Et hæc dicta, & hæc rata volumus.

Admonitio ad
Rectorem, Con-
rectorem & Præ-
ceptores.

Tandem ad vos me converto, Rector, Conrector, Præceptores noviter designati ac proclamati. Officij vestri partes quæ sint, ex orationis nostræ cursu cognovistis. Tales vos esse judicamus, quales in oratione nostra descripsimus. Tales vos fore sperabimus, quales vos habere volumus. Ut sitis, hortabitur vos ante omnia ipsum quod subiistis officium.

Quare officio se-
dulò incumbere
debeant. I.

Concedidit id vobis Magistratus vester suscipiēdus, cuj⁹ cives, cujus subditi estis singuli. Imò per hunc D E u s ipse, sumus rerum omnium Monarcha tremendus, eidem vos præfecit. Contremiscite, hoc quoties animum vestrum subit, & in-

timo-

timore Domini, quod vestri est officij facite.

Urgebit 2. conscientia vestra, quæ Deo, Magistratui, Scholæ, discipulis vestris, vos variè obstrigit. Hanc cave, nela das, quisquis es, aliâs infensissimas furias senties.

Instigabit 3. bonum Ecclesiæ & politiæ publicum, quod opera vestra pro veliendum. Boni si estis, promevebitis idem, ut potestis.

Suadebit 4. damnum publicum, quod incuriâ vestra Ecclesiæ & Politiae certo certius accrescit. Mali si nō estis, præcavebitis idē, quantū potestis.

Postulabit 5. periculum sumum, quod à neglegentiâ provicia vestra vobis & cervicibus vestris imminet. Traditi sūt vobis aures, arrigite! regedi Reip. nostræ liberi. Magnum hoc est. Liberi ingenui, liberi nobiles, liberi Christiani, sunt traditi. Majus hoc est. Horū animæ, horum vita, horū salus, vobis con credita est. Maximum hoc est Quotquot enim discipulorum centurias in Schola vestra erudiendas habetis, tot animas, vel vestræ ipsorum animæ periculo, vobis curandas esse noveritis. Si hoc: Quotquot earum vel incuria & negligenteria vestra, vel pravo exemplo vestro, deperditis, totidē damna saluti vestræ accersitis. Facit huc horronda illa saxi molaris comminatio à Christo in Evangelio proposita. Perpendite illā & horrete.

Credite mihi, non est hæc res nihil: Attende te, est res magna! Attende te, est res vestra! atq; ita vestra

Matth. 13.

vestra, ut attingat vitam, non hanc fluentem pun-
 tulo, sed illā, exuta aut certe subacta hac concre-
 tione, in judicij vel morte miseram, vel vita felicē;
 & perpetuō miserā, perpetuō felicē. Attendite, est
 vita vestra! Attendite, est judiciū vestrum! Curate
 ergo vitam, & judicium non negligite. Vita est in-
 certa, judicium certum. Illa fluit, ut hoc consistat:
 Vita est fragilis, judicium statū: illa abrumpitur,
 ut hoc statuatur. Vita est medium, judicium finis:
 illa initur, ut hoc finiatur: Reim vel incertam cer-
 tæ, vel fragilem statæ, vel medium extremæ, an ne
 præferetis? Ah attendite! attendite! Ego præmo-
 nere possum, damnū avertere non possum: pre-
 cari bene possum, præstare, quod precor, non pos-
 sum. Erit, qui hoc præstet alius, erit ipse Deus. Idē
 ille supremus Scholarum Rector & moderator
 vobis divina sua gratia cælitus adsit, regimen, stu-
 dia, labores & actiones vestras cælesti suæ bene-
 dictionis rore ita irriget, secundet ac sospitet, ut in
 perennem ipsius laudem, Reipublicæ ac Scholæ
 utilitatem, vestram ipsorum salutem achororifi-
 cam amplificationem unicè cedant. VIVITE, VI-
 GETE, FLORETE! Qui boni etsis, mecum ingemi-
 nate, *Vivite, Vigete, Florete!* Ut fiat, faxit is, qui in u-
 nitate Trinus, & in Trinitate unus, benedictus in
 seculorum secula. Dicat omnis populus: *Fiat! Fiat!*
 Dicat omnis populus, *Amen, Amen!*

R E S P O N S I O R E C T O R I S

Nomine & suo & Collegarum.

Ta est, quemadmodum graviter ac præclare differisti, Vir Reverede admodum, & Excel lentissime, Superintendens, Director ac Scholarcha, omni nobis observantia colende. Grave est Rectoris ac Preceptoris Scholastici munus & officium. Grave est: propter dotes ac virtutes, quas in iisdem requiri, variis: at quas vix ac ne vix quidem uno in individuo omnes, vel in mediocri perfectionis gradu, junctim liceat reperire. Grave est, propter pericula ac damna multiplicia, que vel ex neglectu, vel minus rectâ illius administracione solent oboriri. Grave deniq; est propter objectum, ju ventutem scilicet, circa quam formanda Preceptor occupatur, iis præsertim moribus ac temporibus, quibus, ut disertissimi Romuli nepotum verbis utar, ita prolapsa est, ut omnium opibus res frenanda sit atq; coercenda. Ea propter qui labores scholasticos labores appellavit Herculeos: ne ille judicose, meo judicio, rem videtur esse arbitratus. Si cuti enim Herculi, famoso illi Iovis & Alzmenæ filio: Ita præceptoribus scholasticis cum leonibus, cum excetris, cum cervis, cum apri Aetolicis, cum avibus Stymphalicis, e feroci ente juventute plurimis, quotidie depugnandum est & colludandum. Et veluti Hercules folidissimum Augias stabulum per purgavit: Ita præceptoribus stabulum inscitiae, ignaviae, sordiae, petulantiae, impietatis, atq; omnino mororum ac morosorum morum vitiorumq; diebus singulis est, expurgandum.

Tamen si verò onus & opus illud Magistrorum Scholasticorum conjunctum sit cū molestiis ac laboribus plurimis: immo hodie, in tanta seculi malitia, propemodum infinitis habendum tamen, alacriq; & ad labores obfirmato animo ferendum

illis est, quibus à supremo rerum omnium diribitore, injunctū id est atq; impositum.

Quod ipsum quum sollemini hac luce sollemniter à vobis, Clarissimi Scholæ Antistites, Scholarchæ ac Visitatores, Domini ac fautores colendissimi, ex voluntate Dei & authoritate, consensuq; Inclyti & nunquam sine honoris præfatione nobis nominandi Magistratū nostri, Quod ipsum, inquam, onus quū mihi Scholæ hujus Rectori designato, indigno licet, ac tribus hisce meis, latius mihi qui premunt, Collegis, vel novū prorsus, vel novis honoribus auctum, (Est n.

Fructus honos oneris, fructus honoris onus) imponatur, suscipiendum profectò id nobis existimavimus, & è quidem suscipiendum lubentius, quò fiduciâ majori de auxilio & gratiâ divini Numinis, ad nostrum hoc officium laboriosum cōniti, dēq; eodem congratulari impensis nobis possumus, utpote ad quod obtainendū (novit hoc ille, qui quæ nos gerimus, auditq; & videt omnia,) neq; intentius cursitavimus, quod neq; enixius rogitavimus, cuius gratiâ & mollius neminem prensavimus, sed ad quod ordinario ac legitimo votati omnes modo sumus.

Vobis verò Patres Patriæ, vobis Patres Scholæ, magnas meritò nos debere gratias profitemur, pro præclaro isto de nobis judicio vestro, quo non dubitâstis nobilissimū urbis thesaurū liberos vestros, fidei nostræ cōcredere, eos dēq; erudiēdos informandosq; nobis cōmittere, sanctè pollicentes, omnem daturos nos cum Deo operam eſe, ut conscientia nostræ & sacramenti, quo tenemur, accuratam rationem habeamus, ut exspectationi vestrae, de nobis conceptæ, satisfaciamus, & ut munere nostro, summâ industriâ & in laboribus constantiâ, quam fieri optimè potest, perfungamur.

Et quoniam ex iis, quæ abs te, Venerabilis & Clarissime Domine Superintendens, dicti modò sunt, colligere in propria nobis est, munus nostrum in duobus præcipue consistere:

Primū

Responsio Rectoris.

Primum quidem in doctrinā, deinde in vita & moribus; promittimus, quod in nobis est, sive rei sive spei, quod ingenii est ac judicij, illud omne nos ad docendam juventutem certatim collatueros: eā in fundamentis verae pietatis ac sapientiae cælestiū rectè informaturos: eandem linguis & artibus necessariis, præstatuīs, captu dextre imbuturos, nihilq; omnino prætermissores esse, quod ad pietatē & bonas literas provehēdas: quod ad animos adolescentiū ad artes inflāmandos: quodq; ad justam disciplinā quoq; publicā, (o quām necessarii παιδείας hoc in ayo, vitiorum feracissimo, requisiſti) rationem videbitur pertinere. Deinde & in id sedulō incumbemus, ut quantum quidem per humanam infirmitatem poterit, Scholastica nostra juventuti, exemplo vita inculpatæ præcaus, nostrā inque personam in theatro Honestatis sic agamus, ut & vobis in Orchestra publicā sedentibus Censoribus complaceamus, & discipulicur & nostra concretiti, nullam ē moribus nostris offendi-culi ansam arripiant, memores gravissimi illius D.Gregorii Nazianzeni παραγγέλματος ac moniti:

Ἡ μὴ οἰδάσθεν, εἴ οἰδάτε τοῖς τρόποις.

Vel non doceto vel doceto moribus.

In primis autem ob oculos versari nostros jugiter patiemur se verissimam illam Christi admonitionem: Qui offenderit unum de pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria de collo ejus, ac demergatur in profundum maris. Quib; tanquā cælestis Tonatis fulminibus qui non cōmovēt ut, nō aut molam asinariam præ peccatore, aut conscientiam omnino nullam habent.

Postremū Vos, PATRES, demissē majorem in modum rogamus atq; obsecramus, ut auram solitam solidi favoris & gratiae debīnc quoq; nobis adspirare, & contrarabidos intemperantie adolescentie insultūs, contrāq; livida invidorum ac malevolentium spicula, authoritatū vestre clypeo tueri nos velitis, quid operis ac laboribus nostris, verè profē-

Etò laboribus: sine illo cuiusquam turbamento, vacare integrè queamus.

Iam sermo quoque mens ad vos dirigendus erat, Adolescentes ac discipuli fidei nostræ commendati, & quid vestri sit officij, quidq; à vobis requiratur, commonendum: ast quia id à Reverendo Dn. Scholarcha nostro præstitum quoq; est, actum agere, ac serram, quod dicitur, per eandem reciprocare lineam nolo. Accedit præterea vos, quid factu opus sit, quidq; vos deceat, ex legibus cognoscere posse, quas Collega meus vobis clarâ nunc voce prælecturus est: quarum legū non interpretes solum nos postea, sed & gravissimos executores fore certissimè vobis persuasum habebitis.

Quod supereft, Te, æterne Pater Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi, supplicibus votis deveneramur ac rogamus, velis porrò Scholam & Ephebæum hoc nostrum, novelletum Ecclesiæ ac Reipub. nostræ, sub tutelâ ac patrocinio Magistratûs nostri, gratiæ clementiæq; tuæ se pimento cingere: neu permettere, ut in tantis patriæ tumultibus, qui Scholas & Gymnasialiteraria nō pauca everterunt, foedissima Barbaries, exitiū nō magis honestis artibus ac studiis, quam ipsi honestati ac Pietati ministans, in illam irrumpat, & eandem misere depopuletur.

Docentes! præterea in illa omnes, divino tuo auxilio gubernia, ac sapientiæ, intellectu, scientiæ, timoris ac dilectionis spiritu corroborata. Discentibus quoq; animum inde docilem, ac veræ pietatis avidum, timoris item filialis plenum ac superiorum observantem: dispone in illis vitam ad honestatem: ingenium ad alacritatem: iudicium ad sanitatem: memoriam ad capacitatem: linguam ad Christianæ conversationis utilitatem: nos deniq; omnes sancti tui numeris præsidio rege, quod tibi grata, Ecclesiæ salutaria, Reipublicæ proficia, singulis atq; universis utilia & dicamus & faciamus: Tibi Pater unâ cum filio tuo coæterno, & Spiritu Sancto, Deus

Unitrine, sit laus honor ac celebratio, seculis infinitis AMEN.